



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterivm

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XXI. Domine, in virtute tua lætabitur &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://urn.nbn.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Ejus Sion mittat robora firmatibi.
Et memor accipiat placido tua munera vultu,
Grataque, quælibas, sint holocausta Deo.
Expleat optatumque tuum, tua vota secundet,
Irrita nec sinat is consilia esse tua.
Te protectorem celebret pia turba benignum,
Erigat inque tuo nomine signa Deus.
A Domino quacunq; petit, pius impetret, huius
Exaudi lacrymas, vota, precesq; Deus.
Iam certò scio, præsidis quod dextra Ichouæ
Subleuet, ac Christum seruet ubique suum.
Confidant alii rhedis, stolidisque caballis,
In Domini ast posita est nomine nostra salus.
Robore disperso saui cecidere tyranni,
Nos immota Dei dextera stare facit.
Rex Cœli & terræ, fletus hos auribus hauri,
Atque tuam nobis mitte paratus opem.*

PSALMVS XXI.

Domine, in virtute tua lætabitur &c.

Quod Rex læticia plenus, victorque triumphat,
Hoc tribuit populus iure, Ichoua, tibi.
Nam quæ mens eius cupit, hac tu cuncta ministras,
Omnia

Omnia das pronus, qua petit ore suo.
Conspicuam capiti gemmis auroq; coronam.
Imponis, Regem prosperitate beas.
A te cum peteret, vitam victumq; dedisti:
Viuere das illi tempus in omne, Pater.
Est etenim per te multo decoratus honore,
Ipsum ut posteritas inclyta laude vehat.
Latitia placiti vulnus saturabitur abste,
Ipsum perpetuo robore fortificas.
Ille tuo fudit verbo iussisq; Iehoua,
Hinc tua sic Regem protegit alma manus.
Hostes inueniet Dominus, lustrisq; latentes
Opprimet osores omnipotente manu.
Ceu fornax fient, tua postquam exarserit ira,
Puniet ira Dei sulphure & igne malos.
Ex hominum cætu tu perdes semen eorum,
Cunctos vastabis, quos habet hostis, agros.
Insidiis siquidem te turba dolosa petebat,
Perficere haud poterant perfida consilia.
Vertent terga tui tamen hi formidine vultus,
Tui iaculis dentes terga petesq; tuis.
Surge Iehoua potens, inimicos robore quassa,
Iniustus pœnas sentiat usq; tuas.

F

Sic nos

Sic nos virtutem Domini celebrabimus, atq;
Dulcia dicemus carmina, corde pio.

P S A L M V S X X I I .

Deus meus, Deus meus, &c.

MI Deus atq; Pater, cur me sic deseris oro?
Quæ tibi dilecti te nunc obliuio cepit
Tanta, tibi lacrymas ut fundam semper inanes?
Quot gemitus edo, quos non tua percipit auris?
Me clamante dies totos, tua surduit auris,
Nocte precor tota, precibus nec flecteris ullis.
Attamen es sanctus, Judæ gloria gentis,
Et laus Isacidum, tu sancta in sede moraris.
In te maiores nostri posuere salutis
Auxilium, & præsens per te sensere leuamen.
Tu Deus orantum Patrum tunc certa fuisti,
Et sperata salus, quod eos pius atq; benignus
Auxilio forti recreasti tempore duro.
Ast ego non homo sum, sed vermis, fabula vulgi,
Ludibrium mundi, populorum risus in ore,
Gentib; opprobrium cunctis, nota fœda malignis.
Omnibus aspectu turpis, contemtus ab omni
Turba hominum, quæ me vexat sparso ore, caputq;
In sanum